

mensurae boeotium uel bossellum nostrum triticarium implent, qui modus est omnibus iam sarcinarijs equis per stabula uiatoria statutus. Hæc Budæus. Cuius cōiectura nulla, meo iudicio, est. quod rei rusticæ scriptores his uerbis mensuram pabuli bubus dandi præscribant. ipse hodiernam pabuli equi ni rationem explicet. cum diuersa ipsis sint pabula. bouum enim fere est glans & legumē. equorum, aena, & seminis genus, quam speltam Itali uocant. ac permutatio non fiat, nisi summa necessitas cogat. Quare nisi ad bubuli pabuli hodiernam rationem quadret, nihil aget hac coniectura. Et uerisimile est non pauca hac parte non modo in Gallijs & Hispanijs, sed etiam Italia ipsa mutata. quod à diuersis nostris gētibus uastatæ hæ regiones & occupatæ sint. Pergit paulopost. Post hæc antiquitatis monumēta cum mēsurarū modos deprehēdere magnopere cuperem, ad pondus examinare rem institi. quo factō cū nec ex carminibus illis, nec ex Plinio respōderēt, nihil potius tādē inueni, q̄ id quod apud Isidorū non optimū ipsum authorē, ne harū quidem rerum legitur: usque adeo, quod Plinius aiebat, nullus liber tam malus est, ut non aliqua ex parte profit. Hemi-na, inquit ille, appendit libram unam, quæ geminata sextarium facit. Sextarius enim duarū librarum est. Plinij de Atticis, Fannij uero partim de h̄isdem  
partim